



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Acta Ecclesiae Mediolanensis

Acta Synodalia Dioecesana Ecclesiae Mediolanensis, Pars Secunda

Borromeo, Carlo

Brixiae, 1603

De Conditionibus Cancellarij.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11399

dem Archiepiscopo ostendum, cum nota totius summa multarum ac penarum applicandarum; ac eiusdem mandato earum applicationes in eodem libro describantur, quæ sicut pijs locis, vel operibus; cui applicationi subscribat Archiepiscopus, explicando singulas summas, tum propterea ipse expediat mandata dictarum applicationum subscribere ab Archiepiscopo vel Vic. generali. Computorum verò rationes eorum Depositariorum videantur saltem singulis sex mensibus coram Vicario generali, adhibitis Canonicis Ordinarijs eccle-

siæ Metropolitanæ ab Archiepiscopo deputandis, ac Promotore fiscali, & advocato pauperum; tuncq; conferantur libri Depositariorum cum libris à Promotore fiscali confectis de multis exactis. Consolidatio computorum describatur in eodem libro tam Cancellarij quam Depositariorum; quæ subscribatur à Vicario, Cancellario, & Depositarijs. Nec Vicarij, nec promotores fiscali, pecunias, quæ multarum occasione solvantur, penes sese, etiam depositi causa afferunt; sed omnes in manibus Depositarij persolvantur.

P A R S I I.

DE CANCELLARIO,
ET CANCELLARIA

ARCHIEPISCOPALI.



MAGNA atq; ampla negotia sunt, quæ ad Archiepiscopale huius ecclesiæ Metropolitanæ bene gerendæ rationem atque usum pertinent: eorumq; magnitudo & pondus, magna ex parte sustinetur, & Cancellariæ officio, & persona Cancellarij.

Quamobrem non cuius homini, sed gravissimo viro, vel dignitatem in hac ecclesia obtinenti, vel canonico ordinario, eius curæ officium iam impositum esse, ex antiquis eiusdem ecclesiæ tabulis animadvertimus: vel certe munus ipsum dignitatè olim fuisse, ex Innocentij III. Pont. Max. literis perspeximus.

Nos igitur, & tanti muneris gravitate, & maiorum exemplo adducti, cum de cancellarij persona, tum de eius multiplici munere, hæc ut infra decernimus, instituimus, atque sancimus.

De Conditionibus Cancellarij.

Officium Cancellarij exerceat semper per unum ex Canonicis ordi-

narijs in Ecclesia Metropolitana, liberè constituendum & amovendum ab Archiepiscopo pro tempore, ad nutum ipsius Archiepiscopi.

Deligat Archiepiscopus virum qui Diaconus sit; vel eiusmodi ætatis, ut à die aptæ possessionis intra sex menses promoveri possit ad Diaconatum, & re ipsa promoveatur: alioquin si per eum steterit quominus promoveatur: nullum omnino inde emolumentum quovis nomine pretextuve percipiat.

Studeat Archiepiscopus id muneris committere ei potius qui habeat prebendam Diaconalem, quam alij; & item (si commode possit) ei, qui sacrorum canonum Doctor sit; & per aliquod tēpus in eiusdem Cancellariæ usu & exercitio, aut in huiusmodi officijs fuerit versatus.

Non habeat ille beneficia quæ requirant residentiam personalem, præter ordinariam in Ecclesia maiori.

Sit Notarius Apostolicus, antequam officium Cancellarij exerceat; alioquin nullum Cancellariæ emolumentum percipere possit.

Sit spectatæ vitæ & morum, de quo con-

stet informationibus Archiepiscopi iussu sumendis.

Sciat aptè scribere; elegatè verò & ornatum stylum scribendi habeat, tum latina, tum communi lingua.

De hac omni scientia examinetur per Vicarium generalem, & alios duos eligendos ab Archiepiscopo, coram ipso Archiepiscopo.

Habeat ex emolumentis Cancellariæ 100 aureos singulis annis in singulos menses pro rata persolvendos, siue certa constituta portione, siue assignata rata aliqua parte singularum expeditionum Cancellariæ, quibus præfixa taxa est, unde tantundem percipiat, si diligenter muneri suo incumbat; sit etiam attributa illi ex omnibus Cancellariæ emolumentis certa taxa pro singulis expeditionibus Cancellariæ, etiam quæ nihil soluunt, quæ tantundem afferat proventus Cancellario, qui assiduus sit in suo munere præstando.

De collegio Notariorum substitutorum in Cancellaria.

IN Cancellaria Archiepiscopali, præter Cancellarium, sit collegium decem notariorum, qui substituti sint eidem Cancellario, eundemque adiuuent in omnibus Cancellariæ negotijs, ut opus erit, & infra præscribitur: eiusque nomine agant omnia Cancellariæ negotia per illos tractanda, etiam si absint à Ciuitate, ut in visitationibus.

Ijs singulis constituta sit annua portio ex emolumentis Cancellariæ in singulos menses pro rata persoluenta, seruata ratione supra præscripta in emolumentis Cancellariæ; eaque maior minorve sit pro cuiusque conditione & labore, Archiepiscopi arbitrio; sed nullo modo plus centum aureis annuis ad summum quisquam percipiat. Nec verò, etiam scriptorum nomine plures ijs Notarijs substitutis in Cancellaria aut in foro Archiepiscopali esse possint; nisi pro multitudine negotiorum, Archiepiscopus aliquando alios duxerit esse adiungendos vel Notarios, vel solum scriptores.

Nec rursus quisquam alius notarius, præter superscriptos substitutos in Colle-

gio Notariorum Cancellariæ adscriptos, valeat recipere, seu conficere vlla prorsus instrumenta, actave ad Cancellariam pertinentia, vel eiusdem Cancellarij nomine; sub pena falsi, & excommunicationis, quam ipso facto incurrat; nisi aliquando ex vrgenti causa Archiepiscopus in scriptis concesserit iusseritve aliquem extraneum substituti Cancellarij officio fungi: quo casu ille seruare teneatur quæcunque Notarijs substitutis Cancellarij præscripta sunt.

De conditionibus Notariorum substitutorum, & scriptorum.

ELigatur ijs Notarij substituti ab Archiepiscopo; qui vel perpetui sint, vel ad nutum amoueri possunt, ut ipse eorum singulorum agnitis conditionibus magis expedire censuerit.

Qui autem in perpetuum delecti fuerint, ij tamen ex demeritis amoueri liberè possint ab Archiepiscopo.

Sint Clerici, & Clericalem habitum semper gerentes, vbi possint haberi eiusmodi; præsertim verò substituti in actibus voluntariæ iurisdictionis, & in causis Sæcæ Inquisitionis, & criminalibus.

Annum ætatis suæ xxv. saltem attingant, & sint versati per quadriennium integre periteque in Notariatus officio, ex Concilio Prouinciali primo; nisi aliter Archiepiscopus ex causa aliquando admittendos censuerit.

Probentur examine habendo coram Vicario generali, adhibitis sibi Vicario ciuili, vel criminali, & Cancellario Archiepiscopali, & alio perito Notario.

Sint aliqui inter illos (ij præsertim qui Cancellarium in actibus voluntariæ iurisdictionis adiuuabunt) scientia, & alijs conditionibus supra de Cancellario præscriptis præditi; aut saltem eiusmodi, ut aliquando ad ordinariam in Ecclesia Metropolitana, & ad officium ipsum Cancellarij eligi, illudque congruè exercere & aptè possint.

Si qui verò scribere aut scriptores ordinarij aliquando assumendi erunt ad aliquid scribendum, aut scripturarum copiam faciendam, aut etiam aliqua acta recipienda quouis nomine; ij, si potest, & etate pro-

Notarij
electio.

Habitus.

Ætas.

Tit. de no-
tar. & scri-
bis pag. 15.
6. Qui in
Collegium
Approba-
tio.

Scientia.

Scriptores
quales.